

## PARS SECUNDA

---

### SECTIO I.

#### DE HIERARCHIA ECCLESIAE ATQUE REGIMINE

---

##### TITULUS I.

###### DE ROMANO PONTIFICE.

Iturus ad Patrem Unigenitus Dei Filius, non derelicturum esse nos orphanos, promisit, ascendens super omnes coelos visibilem sibi Vicarium delegit, rogans pro eo ut eius non deficeret fides. Ideo cum Oecumenico Concilio Florentino profiteamur Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, docendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. (Conc. Vat., Sess. IV).

Quamobrem ad Romanam Ecclesiam, ut ait Irenaeus « propter potiozem principalitem necesse esse omnem convenire Ecclesiam confitemur. » (Iren. Lib. III *Contra haereses*, cap. III).

Tenemus itaque cum Sancta Matre Ecclesia et praesertim cum Oecumenico Concilio Vaticano:

I. — Beatum Petrum a Christo Domino constitutum esse Apostolorum omnium principem, et totius Ecclesiae militantis visibile caput.

II. — Ex ipsius Christi Domini institutione esse ut B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores.

III. — Romanum Pontificem habere plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem pertinent; eum habere totam plenitudinem huius auctoritatis; et hanc potestatem esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos Pastores et fideles.

IV. — Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, i. e., cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide vel moribus, ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam ea infallibilitate pollere qua Redemptor Divinus Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque, eiusdem Romani Pontificis definitiones, ex sese non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

Insuper una cum Summo regnante Pontifice et cum omnibus Episcopis catholicis agnoscimus et declaramus in praesenti rerum humanarum statu, civilem Sanctae Sedis principatum pro bono ac libero Ecclesiae regimine omnino requiri. (Episcoporum Romae adunatorum, ad Pium IX obtestatio 8 Iunii 1862). A Deo ipso enim sapientissime provisum est, ut in tanta diversitate regiminis apud gentes diversas libera serve-

tur actio Romani Pontificis, ut ea frueretur politica libertate, quae necessaria est ipsi ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem in toto orbe absque ullo impedimento exercendam.

## TITULUS II.

### DE METROPOLITA.

A primordiis Ecclesiae, Sedes Episcopales cuiusque Provinciae filiales Ecclesiae fuerunt metropolitanae Sedes, uti Timotheus fertur praefuisse in Asia Minori, et Metropolitam eum non pauci vocant, sed procul dubio longe ante Concilium Nicaenum dignitas haec exstitit et ita nominari consuevit, nam Patres « antiquos mores circa Metropolitam observari decreverunt. »

Dignitatem metropolitanam non a iure divino, sed ecclesiastico, institutam inspicimus et specialem quamdam et a iure definitam iurisdictionem quam Metropolitae interdum super comprovinciales Episcopos et super subditos Ecclesiarum suffraganeorum exercent, ex ipsa Ecclesiae auctoritate in Summo Pontifice Romano, Christi Vicario manente, originem ducere profiteremur. Ideoque, nuperrime erecta hac Provincia Antequerensi, a SSmo D. N. P. Leone XIII in Bulla *Illud in primis* expedita die 23 Iunii 1891, Nos, Episcopi suffraganei in hac prima Synodo Provinciali in Domino congregati, omnia iura et praerogativas agnoscimus et reveremur quae iuxta Canones et ex praesenti Ecclesiae disciplina Rmo Antequerensi Archiepiscopo competunt.

Tenemus ergo et docemus:

I. — Auctoritatem Metropolitanam a Primatu Summi Pontificis emanare.

II. — Metropolitanae esse Concilium Provinciale convocare, ipsi praesidere et illud dirigere: Suffraganei sub gravi convenire tenentur. (Conc. Trid. Sess. xxiv, cap. ii, *de Reform.*).

III. — Eiusdem esse invigilare ne quis Decreta huiusmodi Synodi servare negligat. (Conc. Trid. Sess. xxiv, cap. ii, *de Reform.*).

IV. — Itidem suffraganeorum causas minores cum Synodo Provinciali iudicare.

V. — Visitare etiam Dioeceses suffraganeas iustis de causis et approbante Concilio Provinciali.

VI. — Capitularem Vicarium constituere in suffraganea sede vacante, si capitulum non elegerit intra tempus a iure praescriptum. In novis autem Dioecibus ubi nondum existat capitulum ipse Metropolita administratorem constituet.

VII. — Suffraganeorum absentias a propriis Ecclesiis notas habere, atque illegitime absentes Apostolicae Sedi denuntiare (Conc. Trid. Sess. xxiii, cap. i, *de Reform.*).

VIII. — Comprovinciales Episcopos ad Seminarium erigenda et conservanda invigilando adhortari et etiam cogere. (Conc. Trid., Sess. xxiv, n. 12 *de Reform.*).

IX. — In causis appellationum iurisdictionem exercere in subditos suffraganeorum.

X. — Causas Curiae suffraganae ad suum tribunal advocare, ubi intra biennium solutae non fuerint, si pars alterutra id postulat.

XI. — Sacro Pallio atque baculo per totam Provinciam uti, necnon et crucem Archiepiscopalem prae se ferre. (Clement. Cap. ii, *De privilegiis*), pariter rochetum et mozzettam induere.

XII. — Iure quoque benedicendi per totam provinciam gaudet, et officia divina sive privatim sive in pontificalibus celebrandi.

Quae cum ita sint maxime optandum est, ut vinculum caritatis et amicitiae inter Metropolitanum et Episcopos in dies crescat et foveatur, nam nihil adeo nocet ac destruit unitatem, quam disiunctio inter membra et caput: concordia autem Pastorum ipsis est salus, Spiritu Sancto dicente: « frater enim qui a fratre iuvatur, quasi civitas firma (Prov. xiii, 19. — Confer. Epist. SS<sup>m</sup>i D. N. Leonis XIII ad Ordinarios Imperii Austriaci die 3 Martii 1891).

### TITULUS III.

#### DE EPISCOPIS.

Apostolorum legitimi successores sunt Episcopi. Hi sunt enim quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam Christus Dominus acquisivit sanguine suo: hi sunt qui pro Patribus Apostolis nati sunt filii et constituti sunt principes super omnem terram (Conc. Prov. An. 1851) ad Ecclesiam in Christi doctrina regendam; qui in partem sollicitudinis divinitus vocati gregem Dominicum intra fines suarum Dioecesium, veluti legitimi et proprii pastores pascunt, immediatam habentes tum in clerum tum in populum auctoritatem.

Serio igitur Episcopi considerent, quantum onus

sollicitudinis et curae ipsis imponat honor muneris adeo formidandi, quod gerunt.

Parati esse debent animam suam ponere pro ovibus suis; suamque existiment iacturam, si quid adversi eisdem eveniat cum Apostolo gentium dicentes: « Quis infirmatur et ergo non infirmor? qui scandalizatur et ergo non uror? »

Quamobrem vigilent, in omnibus laborent, ac ministerium suum impleant.

Sancta Oecumenica Tridentina Synodus ad perficiendos cleri populique mores in Episcoporum integritate spem summam collocavit; iis verbis: « integritas praesidentium salus est subditorum » et provincialis tertia maxicana Synodus docet, verum ecclesiasticae disciplinae scopum praecipuum esse, ut efformetur Episcopus perfectus, his verbis: « Episcopum instruat omnibus numeris absolutum » (Conc. III Mexic. Lib. III, tit. I), ex quibus facile colligere est, qua puritate vitae morumque integritate praeditus esse debeat, quem divina gratia et assidua virtutum exercitatio ad statum perfectionis evexit.

#### Quo circa monentur:

I. — Spatium temporis singulis diebus orationi impendant; item conscientiam suam diligenti examine perscrutentur et quidquid eo die deliquerint, quidquid pro peccatis subditorum corrigendis omiserint gravi dolore defleant et emendent.

II. — Ut pastorale officium postulat, benigni ac mansueti sint, laboribusque minuendis ac pauperum miseris sublevandis, pio ac paterno zelo prospiciant:

ut subditorum molestias in omni patientia sufferentes facile eis aditum praebeant, ne haereant trepidi, sed cum omni fiducia ad Episcopum confugiant, et ab eo in labore solatium, in paupertate auxilium, in morbo medicinam petant: subditos lapsos ne imperio terreant, sed quasi oves perditas laeto animo hilarique vultu excipiant et ad domum Patris gaudentes reducant.

III. — Episcopis dictum est: « depositum custodi » (1<sup>a</sup> ad Timoth. v, 20). Strenuo ergo ac invicto prorsus animo se gerere debent in docenda ac tuenda catholica fide, et summa cura vigilare ut grex sibi commissus in ea stabilis et immotus persistat, ideoque diligenter incumbere ne quid puritati atque integritati doctrinae adversum in Dioecesi diffundatur. Id eo magis praestent cum a Supremo Pastore excitentur, ut vigiles custodias agant; eos enim in specula constituit Dominus ut, venientem hostem prospicientes, tuba canant, populosque moneant, ne pereuntium sanguis de manibus illorum requiratur (Pius IX, Alloc. die 9 .... 1854).

IV. — Doctores fidei cum sint Episcopi, praecipuum illorum munus est praedicatio verbi divini ad sanam doctrinam in populo disseminandam, eumque ad optima virtutum exercitia excitandum. Unde Tridentina Synodus definivit, Ecclesiae Praelatos teneri per seipsos ad predicandum sanctum Iesu Christi Evangelium (Conc. Vallisol. 1889). Hoc est illorum praecipuum officium, et adeo quidem, ut maior sit eorum obligatio aut saltem illam adaequet qua parochi de praecepto divino constringuntur. Si vero legitimo impedimento detinentur quo minus huic muneri per seipsos satisfacere possint, iuxta formam eiusdem Con-

cilii, viros idoneos assumere tenentur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exequendum (Conc. Trid. Sess. v, c. II, *de Reform.* et Sess. XXIV, c. IV, inter caetera 15 *de offic. iudicis ex const.* Rom. sub Innocent. III).

V. — Saepe a parochis voce vel scripto diligenter inquirent de subditorum statu, de temporalibus et spiritualibus populi aerumnis, de remediis contra peccata publica adhibendis, ut iis omnibus accurate provideant.

VI. — Etsi de omnibus quae ad cultum divinum pertinent, Episcopos semper sollicitos esse oportet; in eam praecipue curam incumbere admonentur, ut ipsi, et sacerdotes, et fideles Sanctissimam Eucharistiam colant et venerentur, ad quam conficiendam et omni adorationis cultu prosequendam sacris ordinibus initiati fuerunt, tum Episcopi, tum sacerdotes.

VII. — Errores et vitia intrepide arguant et increpent; sed etiam obsecrent simul in omni patientia et doctrina.

VIII. — Sacerdotes ad quotidianam meditationem, annuos secessus, collationes spirituales, ad praeparationem ante Missam et gratiarum actiones post sacrum, ad frequentem adorationem SS<sup>m</sup>i Sacramenti, ad amorem erga Sanctissimum Cor Iesu et devotionem Dei-parae Immaculatae instanter excitent, et ad pietatis exercitia pro rerum circumstantiis adhortentur.

IX. — Episcopus gregem suum cognoscere eaque omnia quae ad spirituale eius bonum sunt necessaria, suis ipse oculis perspicere debet, et etiam operam dare ut fideles tot tantisque amittendae fidei in istis regionibus periculis expositos, sacramento Confirmationis munire possit. Sed attentis specialibus adiunctis in quibus Provincia nostra versatur, vix dici potest

quam laboriosa et aerumnosa sit visitatio Dioecesium, quae ex iure canonico infra definitum tempus fieri debet.

Idcirco Episcopi quam frequentissime possint et pro sua diligentia, propriam Dioecesim visitent, nam talis perlustratio cum pastoralis officio arctissime coniungitur, ita ut nullo modo omitti aut negligi possit, sine gravissimo peccato.

X. — Si Episcopus legitime impediatur, visitatores deleget sapientia et vitae exemplo probatos, qui suas vices gerentes paroecias visitent et certiores de illarum statum Praesulem faciant, ut sic cleri populique necessitatibus et morum reformationi provideat.

XI. — A Dioecesi non recedant Episcopi ultra trium mensium spatium intra annum. Si eorum absentia ultra id tempus protendenda fuerit, hoc non faciant absque licentia Romani Pontificis, et in utroque casu de absentia Metropolitanam certiores facere debent.

XII. — Sicut Metropolita, dum vacaverit aliqua ecclesia suffraganea ius habet nominandi Vicarium Capitularem, quando Capitulum eum non elegerit intra tempus a iure praescriptum, ita idem ius Episcopo antiquiori huius provinciae competit, si de ipsa metropolitana ecclesia vacante agatur.

XIII. — Episcopi concedere possunt indulgentias quadraginta dierum, et non amplius, subditis suis tantum et non aliis, nec ob confraternitatis pactum ut vocant, cum ceteris Praelatis. Si vero indulgentia concessa fuerit localis, tunc fideles Dioecesis alienae degentes in eo loco, vel accidentaliter transeuntes, eam lucrifacere possunt.

XIV. — Quoniam Episcopi sacerdotum et inferiorum clericorum indigent adiutorio, ut necessitatibus

spiritualibus fidelium efficaciter occurrant, et divini cultus splendor non solum conservetur, sed et augeatur, mentem S. Concil. Trident. sequentes, praecipimus, ut tales omnino ad clericalem et praesertim sacerdotalem gradum promoveant, qui Ecclesiae utiles fore videantur, moribus et scientia ornati, ut in praeliis Domini praeliandis, ovibusque pascendis, custodiendis, et moderandis, pro sua quisque parte suum officium adimplere valeant (Conc. Trid. Sess. XIII, cap. IV, *De re-form.*).

XV. — Quod vero ad idoneos et optimos Ecclesiae ministros efformandos attinet, ante omnia ecclesiastica Seminaria ut pupillam oculi custodiant Episcopi huius Provinciae, ad illa singulari studio animum adiiciant, atque iuxta sacrorum canonum rationem disponant et informant, ut alibi ex professo et amplius a nobis tractandum erit.

XVI. — Cum sacri Canones ac praesertim Tridentinum Concilium et nostrum Concilium mexicanum III frequenter in iis omnibus describendis et requirendis, tum virtutis et pietatis, quoad mores, tum scientiae et zeli partibus, quibus ornati esse debent sacerdotes, qui ad parochiale ministerium exercendum deliguntur, insistant, huius provinciae Episcopi totis viribus incumbere debent, et sedulo in hac praestantissima re animum apponere, ut tantum ii sacerdotes ad animarum curam deputentur, qui, omnibus requisitis a iure praediti, digni tanti officii conspiciantur.

XVII. — Cum de iure communi Episcopus in sua Dioecesi ordinarius collator omnium beneficiorum existat (Can. Omnes basilicae — ex Concil. Aurel. I cap. 16, Quaest. 7, Alexand. III, cap. *Ex frequentibus*, extra de institutionibus); et inter nos in hac mexicana Re-

publica, iure regii patronatus extincto per huius nationis independentiam, consummatam ab anno 1821 Episcopis iuxta declarationem in Comitibus ecclesiasticis anno 1822 Mexici adunatis factam, per ius reversionis competat beneficiorum omnium collatio in quibus antea ius patronatus exacerbatur: curent Episcopi suarum Dioecesium parochias providere, sive ad tempus et oeconomico, sive in perpetuum, per canonicum concursum, prout in Domino utilius et uberius iudicaverint, attentis specialibus adiunctis et difficultatibus in quibus versamur, ut sic populi omnes rectius et diligentius subleventur in suis necessitatibus spiritualibus.

XVIII. — In regimine ecclesiarum sedulo incumbant Episcopi, et in negotiis maioris momenti cum sacerdotibus prudentioribus de Capitulo vel alias, consilium habeant et in casibus a iure praescriptis, ut in ditione nostra vigent, verba faciant cum canonicis.

XIX. — Antiquissimae observantiae Constitutioni Sixtinae inhaerentes, Sanctorum Apostolorum limina intra decennium visitent Episcopi, atque status Ecclesiae suae rationem Supremo Pastori, Christi Vicario, reddant, iuxta instructionem Benedicti XIII, sicuti solemni iuramento promiserunt.

XX. — Summopere optandum est ut Episcoporum et populorum coniunctio, concordia, et consensus magis ac magis foveantur, ut oves suas Pastores agnoscant et sequantur, amantes illos videant, sollicitosque in consilio, concione et opere indefessos inspiciant in omnibus ab eis se adiuvari et recreari, in omnibus semper adesse, omnibus omnia sese facientes, ut omnes salvi fiant. Sit Episcopus dux in castris, olitor in hortis, sit Pater inter filios, Apostolus in terra, vector, aditusque felix denique in coelum.

## TITULUS IV.

## DE FORO EPISCOPALI.

Ut Episcopi populum a Deo sibi commissum, ea qua par est prudentia, et sollicitudine gubernent ac moderentur, atque ut facilius orationi vacent, doctrina pascant gregem, et salutem consulant animarum, illis necesse est, in tractandis maximi momenti negotiis generalibus Dioecesis, magno labore conniti, et longum temporis spatium consummere, ex quo frequenter accidit, ut tanto curarum pondere obruti, omnia per seipsos agere impediuntur. Ideoque, et cum praeterea non tantum Patres, sed et iudices super suum populum existant, Vicariis indigent, quos in partem sollicitudinis, praesertim earum rerum quae fori iudicialis sunt, sibi adsciscant. Sed cum Benedictus XIV doceat (*De Synod. lib. III, cap. III, n. 2*) conformius iuri esse unum tantum Vicarium nominare, qui exercitium ambarum iurisdictionum habeat, in Provincia nostra Provisor et Vicarius unus et idem nominetur.

I. — Vicarius ideo Generalis est clericus ab Episcopo designatus, ut ordinariam iurisdictionem in totam Dioecesim in nomine Episcopi exercent, et ut Provisor iudiciis praesideat.

Sacerdos esse debet in Provincia nostra, et tali pietate commendatus, ut omnibus sit sacerdotalium virtutum exemplar. Sit Doctor aut Licentiatus, vel saltem idoneus in scientia iuridica. Non debet esse Regularis, nec Parochus, nec Poenitentiarius, nec Magistralis aut Theologalis Canonicus; Doctoralis vero aliquando, et tantum cum Episcopi dispensatione ad onus Vicarii Generalis nominari poterit.

Vicarii Generalis munus per mortem vel translationem Episcopi cessabit.

II. — Episcopus etiam Secretarium gubernii ecclesiastici nominare debet, cui, inter alia munera, omnia documenta ab ipso Praesule subscripta, et ipsi sua manu signare et munire competat, et specialiter in archivio episcopali cuncta secure et debito ordine servare.

Mortuo vel translato Episcopo, et Vicario Capitulari electo, Secretarius coram ipso Vicario munere se suo abdicet, ut ita ille nominet ipsum vel alium, prout sibi placuerit. Similiter, et eadem de causa, faciet coram novo Episcopo Secretarius Vicarii Capitularis cessantis.

III. — Praeterea Promotores pro iustitiae et legis tutela ad Curiam adscribantur, non a Vicario Generali sed ab Episcopo nominati.

Promotor Sacerdos esse debet, pietate ac prudentia conspicuus, in iure Doctor aut Licentiatus, vel saltem idoneus in scientia iuridica.

Nec Provisor, nec Secretarius Episcopi Promotores esse possunt, prout in iure praescribitur, et quia permittendum non est ut a suo munere quisquam abducatur, in quod totus incumbere debet, Episcopus nec Canonico Poenitentiario, nec Parochis Promotoris officium committat. Attamen Canonicus Doctoralis in casu necessitatis, et cum dispensatione Episcopi ad hoc munus nominari poterit.

Promotoris officium est, iustitiam et legem tuere ne violentur.

Promotor causis interesse potest verbo vel scripto. Promotoris munus non cessat per mortem vel translationem Episcopi, et sede vacante, assistere debet Vicario Capitulari.